



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri  
Disertissimi, Opera quæ exstant omnia**

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

XII. Iacob. Sadolet. S.R.E. Card. Nicolao Peitellio, S.P.D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69244)

peccatum animi amicissimi sum habiturus. De prædestinatione  
quod statim, & quam cum Luciano mea mens consentiat, ex  
hoc quoque libro poteris habere compertum. Vale. Romæ,  
XVII. Calend. Febr. M. D. XLVI.

XII.

IACOB. SADOLET. S. R. E. CARD. NI-  
colao Peirellio, S. P. D.

Pater ad me scribit, in eo obeundo munere, quod rogatu  
meo suscepisti: te & Carpenteractensibus civibus vsq; eo fa-  
mulari, ut in sacris illis concionibus, quas ad populum habes,  
sæpe religiosum studium ardentius, nec rerum copia vberior, nec  
orationis subtilitas maior desiderari posse videatur. Itaq; admi-  
rationem ad te audiendum hominum cuiusq; generis, ætatis, ordi-  
nis, concentum fieri, ut profus nunquam istæ quisquam maiore  
honorem vel frequentia, vel admiratione, eius generis concio-  
nem habuerit. Quod mihi quidem, qui præstantissimum inge-  
nium tuum, pari vitæ integritate ac pietate coniunctum, istic  
cum esse, facillè perspexi, minimè mirum visum est. Non pos-  
sum tamen facillè verbis consequi, quam id gratum mihi & iu-  
cundum acciderit. Nihil enim vehementius studeo atque opto,  
quam illos homines, quos fidei meæ commisos, paterno planè  
amore prosequor, his tam turbulentis temporibus, quibus mul-  
tos exoptate a vera religione abducuntur, in recta erga Deum fide  
et officio manere. Itaque cum tu ad eos continendos, tam  
fidem, tamq; egregiam operam mihi absenti naues, incredi-  
bilis quædam voluptate afficiat necesse est. Tibi verò eo nomine  
tantum debere me intelligo, quantum equidem vix posse vn-  
quam videri persolvere. Sed tamen, & is primùm, qui pias ho-  
minum actiones cælestibus præmiis remuneratur Deus, cui tu  
in primis deservis, tam præclari officij tui amplissimam tibi mer-  
cedem reddet: & ipse non desistam, quin tibi pro tantis tuis in-  
me, meosq; civis meritis, aliquam aliquando gratiam refe-  
ram. Tu ut civitati isti pergas rectam, quemadmodum facis, sa-  
lam & immortalitatis viam ostendere: meq; apud Deum præ-  
cationibus tuis inues, ut mihi ad Ecclesiam meam regendam  
redire illius benignitate contingat, abs te vehe-  
menter peto. Vale mi Peirelli. Romæ,  
M. D. XLVI.

IAC.